

æternam consequi; inde enim Joannes commendat Dei bonitatem. c. 1. v. 12. qui dedit eis potestatem filios Dei fieri: sed hoc posse seu potestas datur per gratiam pure sufficientem; ergo.

*Conf. 2.* Beneficium materialiter tale, seu materia idonea beneficentiae pensandum est secundum se et penes actionem *conferentis*, non autem penes id, quod adjungitur illi ex mera *recipientis* libidine et abusu.

*Nec dicas 1º.* Non est *beneficium*, cuius carentia est quid melius: sed melior est carentia auxilii pure sufficientis, quam ipsum hoc auxilium; tum quia cum hac gracia homo peccat, et sine ea non peccat, adeoque melius est ea carere, quam illam habere: tum quia simili ex ratione Matth. 26. de Iuda proditore dicitur: *Bonum erat ei* (h. e. secundum phrasin hebr. ex S. HIER, melius) *si natus non fuisset homo ille*; ergo.

R. N. vel *Dist. min.* Melior est carentia, quam ipsum auxilium pure sufficientis in actu primo N. in actu secundo *Subd.* quam ipsum auxilium denominative et specificative secundum entitatem gratiae sumptum N. vel reduplicative vel compositive vel concretive h. e. secundum dissensum præcise, vel dissensum simul et entitatem gratiae sumptum C. Quamvis enim complexum vel concretum ex gratia et abusu involvat beneficium, recte tamen beneficium simpliciter non vocatur, sed cum diminutione, scilicet secundum positivum seu entitatem præcise gratiae.

*Ad prob. 1º.* Similiter D. Cons. Eodem sensu sumitur testimonium 2º. prob. allatum; nam existentia secundum se sumpta melior est, quam ejus negatio, cum creatio Iudee non minus, ac alia illi collata dona tum naturalia tum supernaturalia, sit *Dei beneficium*, nec ex ipsa creatione seu existentia, sed circa ac contra voluntatem divinam ex propria ejus voluntate ac mero abusu documentum illi provenerit: existentia tamen conjuncta cum peccato, quod Judas addidit, non est melior, seu non tanti, ut non sit melius non existere, quam sic existere; quia peccatum, quod complexum cum existentia tali constituit, quoad eligibilitatem est majus malum, quam bona sint tum gratiae, tum naturae dona.

*Nec dicas 2º.* Beneficium non est, quod accipienti non est utile: sed gratia sufficientis non est utilis homini etiam ratione illius potestatis agendi salutariter, ut constat ex AUG., qui L. de gr. et lib. arb. c. 18. *Tunc*, inquit, *utile est velle, cum possumus, et tunc utile est posse, cum volumus: nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut quod possumus nolumus.*

R. D. M. Beneficium non est, quod accipienti non est utile in actu primo C. quod non est utile in actu secundo *Subd.* Si hoc provenit ex ipsa naturalitate doni C. si provenit ex una voluntate, culpa ac malitia accipientis N. Quod ipsum opus salutare, ad quod gratia sufficientis incitat, viresque ac potestatem tribuit, et sic utilitas seu fructus non sequatur, non ex gratiae ipsius, sed illam, ut ait Apostolus, *in vacuum recipientis defectu solo oritur*; unde ipsi gratiae ac auxilio negari nequit ratio beneficii; præsertim cum ipsum posse, seu facultas salutariter operandi per sufficientem gratiam collata jam sit magna utilitas, de facto jam meliorem faciens accipientem, et collatorem ostendens beneficium.

*Ad prob. D. S.* AUG. dicit, potestatem, si non facimus quod possumus, nihil prodesse hoc sensu, quod fructus intentus aut exspectatus reipsa et in actu secundo inde non colligatur C. hoc sensu, quod ipsum posse seu facultas

bene operandi de se non sit utilis et materia idonea beneficentiae, quamvis hominis culpa fructus exspectatus non reportetur N. Sicut non velle percipere fructum ex re, e qua quis potest, arguit negligentis malitiam et ingratitudinem; sic posse percipere fructum infert Dei bonitatem et beneficium, licet actu non percipiatur, eo quod fructus percipiendi voluntas absit.

*Nec dicas 3º.* Gratia sufficientis magis obest, quam prospicit; ergo non est beneficium. *Prob. Ant. 1º.* Quia gracia haec se habet instar legis, de qua AUG. L. de gr. Chr. c. 8. *Usque adeo, inquit, aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solum nihil prospicit, verum etiam plurimum obsit, nisi adjuvet gratia.* 2º. Quia collatio gratiae pure sufficientis reipsa nihil aliud est, nisi permissionis peccati. 3º. Quia Deus gratiam ejusmodi vel confert tantum ad tollendam excusationem impotentiae, vel non raro in pœnam peccati praecedentis; ergo.

R. N. vel D. ut supra. *Ad prob. 1º.* *Disparitas* est, quia lex, nisi adjuvet gratia, jubet, sed non juvat; ac propterea aliunde potius, occasionaliter scilicet, irritat concupiscentiam ipsa prohibitione, juxta illud: *Nitimus in vetum semper, cupimusque negata;* id quod et AUG. docet de Sp. et litt. c. 4. At vero gratia sufficientis non irritat, sed potius coercet concupiscentiam, praestat vires ad eam compescendam, et juvat ad legem observandam; adeoque minime dici potest, ad instar legis obesse magis, quam prodesse.

*Ad prob. 2º.* N. Ass. de gratia sufficiente specificative sumpta: quamvis enim gratia aliter sumpta praeter negationem consensus possit in collatione hujus auxilii connotare etiam negationem alterius auxilii congrui, et sic habere rationem permissionis peccati; tamen neutra negatio pertinet ad positivum et entitatem gratiae sufficientis, ac proinde haec secundum positivum vel specificative sumpta nequit confundi cum permissione peccati.

*Ad prob. 3º.* N. utr. part. Ratio primi est: quia nec haec est intentio Dei, nec ratio conferendi; cum alias et rationis usus et libertas et admonitio aliaque quæcumque media divina, sed ex hominis vitio infructuosa; hac ratione maleficium naturam induerent: *secundi* vero; quia *pœna peccati* est sola negatio gratiae efficacis seu congruae, quæ tamen ex nuper dictis non se tenet ex parte positivi seu entitatis gratiae sufficientis; ac præterea tantum facit secundum AUG. phrasin, ut non erogetur a Deo aliquid, quo homo sit deterior, sed duntaxat, quo sit melior, non erogetur.

*Nec dicas 4º.* Pro gratia sufficiente nec oratur, nec debet aut potest orari; ergo non est beneficium. *Pars 1º. Ant.* patet; quia nemo petit a Deo nudum posse, sed omnes bonam voluntatem et actionem postulant. *Pars 2º. prob.* Non debemus petere, quod jam habetur, aut in nostra est potestate; quia juxta AUG. L. de Nat. et Grat. c. 18. nihil est *stultius quam orare, ut facias quod in potestate habeas.* Sed gratiam sufficientem habemus in nostra potestate, dum urget præceptum; ergo. *Pars 3º. prob.* Qui petit gratiam pure sufficientem, petit dissensum et abusum gratiae vel complexum ex gratia et dissensu; hoc autem nemo secundum rectam rationem petere potest. Hinc laudabilis est ista voluntas: nolle auxilium pure sufficientis; quia illo non accepto nec forem *ingratus*, nec *peccarem*; ergo.

R. D. A. Pro gratia sufficiente specificativa et secundum id sumpta, quod positive ac in recto regulariter dicit, nec oratur etc. N. pro ea reduplicative et secundum negativum ac obliquum sumpta C.

*Ad prob. 1º.* R. D. Ass. Nemo exercite petit nudum posse N. signate

*Subd.* et hoc ideo, quia gratia dans nudum posse secundum entitatem suam spectata sit inutilis aut perniciosa *N.* ideo quia quilibet potius optat beneficium majus, quam minus *C.* Frequenter *orationes fidelium* tendunt ad impetrandam gratiam, qua v. g. possit superari aliqua tentatio, prescindendo ab ejus efficacia aut inefficacia, ubi nec petitur *determinate* gratia efficax, nec pure sufficiens, sed pro beneficio agnoscitur quilibet gratia, quae vires vere sufficientes praestat ad tentationem vincendam: ipsa vero Ecclesia, quamvis utramque precibus suis postulat, saepius tameu gratiae prævenientis et excitantis meminit, quae ad sufficientem pertinet.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. D. M.* Non debemus petere, quod jam habemus ex nobis ipsis, et est in potestate nostra naturali aut arbitrio *C.* quod habemus ex alio, et cuius jam accepti usus vel abusus tantum est in nostra potestate *subd.* nisi ipsum hoc habere et posse proxime uti detur dependenter a precibus, et nisi fructus habitu doni ejusque usus dependeat etiam ab alio *N.* secus *C.* similiter distincta *min.* *N. Cons.*

*S. Aug.* locis citatis alibi recte ex orationibus Ecclesiæ demonstravit necessitatem gratiae contra *Pelagianos*, qui dicebant quidem posse salutriter agere haberi a Deo per creationem nature ac liberi arbitrii, velle autem et operari esse a solo homine per vires proprias nature ac liberi arbitrii, atque hinc et sufficientiam et ipsam operationem viribus nature deberi. Per hoc vero minime oppugnavit gratiam sufficientem; tum quia gratia *proxime* sufficiens non semper adest ubique, atque hinc postulari debet juxta regulam *Trid.*: tum quia et ipsa cum gratia cooperatio ejusque usus non est ex viribus naturæ, sed gratiae: tum quia habita ejam gratia sufficiente orare nihilominus convenit, partim quod nesciamus, an eam jam habeamus; partim quod nobis ipsis timentes majorem gratiam postulare deceat.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>. D. A.* Qui petit gratiam pure sufficientem specificative, acceptam, petit dissensum etc. *N.* qui petit eam reduplicative sumptam, secundum exclusionem scilicet efficacie *C.* *Ad illat.* *R.* et *iham* pertinere ad auxilium non *secundum se*, sed cum dissensi sumptum; atque hinc honestas illius affectus non probat, gratiam sufficientem non esse beneficium, sed peccatum quod eligibilitatem majus esse malum, quam auxilium sufficiens sit bonum.

*Nec dicas 5<sup>o</sup>.* Gratia sufficientis servit nutriendæ hominum *superbitæ*, eo quod ejus usus vel non usus dicatur pendere a libero arbitrio: foveat *negligentiam*, cum falsa homini iniciatur confidentia, fore gratiam semper paratam, qua homo uti, et ad Deum redire queat: *spem* denique sufficit; quia hanc homo non collocat pro suo debito in Dei auxilio, sed semetipso ac propria voluntatis consensu; ergo beneficium esse nequit.

*R. N. Ant.* Cujus absurditas vel ex ipso *JANSENII* systemate manifestatur, qui gratiam sufficientem solam tribuit *statui innocentiae*, quin tamen dicere ausit, Adamo fuisse datam gratiam ejusmodi, quæ natura sua inspiraret superbiam, socordiam foveret, et spem labefactaret Christianam. Præterea gratia, quæ suam homini *infirmatatem* et omnimodam a continuo divini auxili influxu dependentiam demonstrat, potius *humilitatem* inspirat; quæ hominem incessanter monet, ut novum semper a Deo imploret auxilium, tum ut accepta gratia bene utatur, tum ut in ea perseveret, accedit diligentiam; quæ denique nihil *solis viribus* permittit, et ad auxilia majora

semper expetenda incitat, quibus difficultates sive ex ipso opere, sive ex temptationibus provenientes vincantur, satis aperte persuadet, *spem* omnem in abundantiori auxilio ad bene agendum necessario esse collocandam. Talis autem est gratia sufficiens, quam *Orthodoxi* omnes admittunt ex *Trid.* instructione, quod *Sess. 6. c. 13.* *Qui se existimant stare*, inquit, *videant ne cadant, et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus etc.*

*344. R. II.* Gratia pure sufficiens etiam est beneficium Dei *formaliter* tale, h. e. collatum *qua utili* recipienti.

*Prob.* In collatione hujus gratiae, etiam dependenter a scientia media *prælucente*, Deus duo intendit: 1<sup>o</sup>. nempe efficaciter intendit, ut homo sufficientiam et simpliciter posse habeat ad operandum salutariter: 2<sup>o</sup>. inefficaciter quidem, sed serio tamen, ut salutaris operatio et salus hominis consequatur; hanc enim seriam Dei voluntatem fundant ejus præcepta, quibus serio declarat se velle, ut opera salutaria ponantur, seu fiat id, quod iisdem præcipit. Atqui *prima* illa intentio est formaliter benevolia; *secunda* autem, quamvis per eam Deus homini non faveat, quantum potest, simpliciter tamen adhuc benevolentiam dicit; ergo gratia pure sufficiens sicut ex Dei erga hominem benevolentia procedit, sic beneficium formaliter tale dici potest ac debet.

*Conf.* *Præscientia media* de inefficacia non obest beneficentiae in collatione auxilii sufficientis. Nam id non obest beneficentiae, unde maxima Dei beneficentia commendatur: sed ex eo, quod prævideatur auxilii inefficacia unice proveniens ex *pravitate hominis*, maxime commendatur Dei beneficentia, qui nempe nec per illam malitiam prævisam a conferendo dono retrahitur; unde illud est *CHRYS.* de reprobis agentis effatum: *Eos præscius formavit, vincente bonitate præscientiam;* ergo. Præterea divina præscientia non destruit suum *objectum*: destrueret autem, si præscientia inefficaciæ obesset beneficentiae in auxilii collatione; nam *objectum* hujus præscientiae est ingratitudo hominis dissentientis auxilio, si hoc conferatur: sed destrueret istam ingratitudinem, quatenus destrueret terminum essentiali, vide licet rationem beneficii in collatione auxilii, quam ingratitudo necessario supponit et connotat; ergo.

*Nec dicas 1<sup>o</sup>.* Moveri ab inefficacia auxilii ad illius collationem, vel ex industria seligere auxilia inefficacia danda, vel ejusmodi collatione insidiari alterius saluti, maxime repugnat beneficentiae *formali*: sed haec omnia eveniunt in collatione gratiae *pure* sufficientis dependenter a scientia media de inefficacia gratiae, seu si Deus conferat gratiam sufficientem ut prævisam inefficaciem; ergo.

*R.* Argumenta nimium probare etiam contra adversarios gratiam sufficientem, nec sine prævisione inefficaciæ, in statu *naturæ integræ* datam admittentes. Unde *Dist. min.* Hæc omnia eveniunt in collatione gratiae sufficientis dependenter a scientia media tantum *prælucente* de inefficacia auxilii, seu si Deus conferat gratiam sufficientem ut prævisam inefficaciem, *N.* in collatione dependenter a scientia media *dirigente*, seu si Deus conferat ut prævisam inefficaciem, h. e. si ob prævisam inefficaciem, et quia sciit esse inefficaciem,

conferat C. Postremum vero in Deum non cadit; unde nec illa absurdā collationem gratiæ sufficientis afficiunt.

Nam 1º. Deus non movetur ab inefficacia prævisa, sed tantum ab eadem non retrahitur; et decretum collativum gratiæ pure sufficientis non tendit sic: *Do hanc gratiam, quia prævideo inefficacem; sed ita: Do, et si prævidam inefficacem.*

2º. Cum autem Deus prævie ad decretum auxilii collativum nihil intendat, ratione cuius teneatur homini dare auxilium inefficax et efficax negare, sed potius intendat *salutem* hominis, *mediaque* ad eam conducentia; manifestum est, quod non eligat de industria auxilia inefficacia præ efficacibus, sed utendo jure suo dispensem bona sua modo, quo vult.

Hinc vero 3º. patet, Deum non insidiari hominum saluti. Deus enim conferendo etiam auxilium *pure* sufficientis dat homini id, quod antecedenter non debebat, quin dat plerumque amplius, quam quod ad salutem obtinendam requiratur: dum vero homo auxiliis his non utitur, prout debet, de sua negligentia ac perversitate, minime autem de Dei voluntate et benefacto habet, quod conqueratur. Atque hæc quidem benevolentia Dei facilius cognoscitur *in sententia* eorum, qui dicunt, quod Deus in dispensatione auxiliorum se gerat ita, ut si illa *pure* sufficientia, quæ dat, præviderentur efficacia, illa non negaret, sed daret eadem liberrime, quibus homo certissime assequetur salutem.

Nec dicas 2º. Pater non est beneficus formaliter, si filio det pecunias, prævidens illarum abusum in corporis et animæ perniciem: nec *hospes*, invitans reum ad coenam, formaliter beneficus est, si præsciat, ea occasione eum a judice capiendum et plectendum; ergo si præcedit scientia de auxiliis inefficacia, sub quo erit hominis ingratitudo, peccatum et damnatio, Deus in gratiæ hujus collatione non est formaliter beneficus.

R. C. A. N. Cons. Nam 1º. nec pater nec *hospes* formaliter beneficit, nisi prudenter judicet, ille quidem, filium non abusurum pecuniis, hic vero, coenam non fore occasionem capturæ ac supplicii. Jam vero sicut ad limitatam hominum providentiam se habet prudens judicium, sic ad perfectissimam Dei providentiam habet se infallibilis præscientia; ergo si sine memorato prudenti judicio in exemplis adductis non stat *formalis* hominum *beneficentia*, neque Dei *beneficentia* habebitur absque infallibili præscientia de eo, quod auxilium quodcumque datum, sit conjungendum cum effectu; quod aperte falsum est.

R. 2º. *Disparitas* est, quia qui ponit quidem causam *per accidens*, sed habet obligationem vitandi hanc causam ex hoc fine, ne sequatur effectus, illi voluntarius est effectus; itaque quamvis illa collatio pecuniæ aut invitatio illa ad coenam sint tantum causa *per accidens*; tamen quia vel ex pietate vel ex humanitate vel ex alio quocumque titulo justo, patri ac hospiti obligatio incumbit vitandi has etiam causas *per accidens*, ne nempe sequatur illud documentum, mirum non est in illis exemplis locum non habere sufficientiam *formalem*; eo quod damna illa prævisa hominibus causas *per accidens* ponentibus voluntaria sint.

E contra permissio etiam, quod gratia sufficientis sit causa *per accidens* peccati, Deus tamen non tenetur non dare auxilium *pure* sufficientis ex fine, ne sequatur peccatum; cum ex dictis alibi Deus peccatum impedire non teneat:

tur: unde sequitur ingratitudinem cæteraque hominis damna illam subsecuta Deo minime esse voluntaria. Præterea vero cum aliunde illud auxilium ex Dei actione procedens sit homini bonum, Deusque id ex benevolentia conferat; hinc est, quod cum prævisione inefficaciæ stet adhuc *formalis* beneficentia.

Nec dicas 3º. Necessitatus *sub disjunctione* ad conferendum bonum, vel ad non permittendum majus malum, non est *formaliter* beneficus, si bonum concedat, et majus malum permittat; quia impeditio majoris mali est bonum majus, et necessitatus ad dandum unum ex duobus bonis non est *formaliter* beneficus, si det minus, et neget majus. Sed Deus est necessitatus *sub disjunctione* ad dandum auxilium sufficiens, vel ad non permittendum peccatum, quod est majus malum; ergo si dat auxilium *pure* sufficientis, et permittit peccatum, non est *formaliter* beneficus.

R. N. M. universaliter sumptam; quia Deus etiam est necessitatus *sub disjunctione* vel ad hominem creandum et permittendum pro ejus libertate peccatum, vel ad non permittendum peccatum hominem non creando; et tamen creatio hominis postea peccaturi *formale* Dei beneficium est. Itaque permittere majus malum, quod evenire nequit, nisi ex abuso minoris boni concessi, sed sufficientiam vitandi majus malum afferentis, *formale* beneficium non corruptit.

Unde ad prob. D. Non est beneficus, si neget majus bonum, et det tantum bonum minus, sed cum quo confert simul potestatem lucrandi bonum majus, quodque bonum majus nequit abesse nisi ex accipientis desidia N. si quid ejusmodi in collatione minoris boni absit, *Transeat*; quia cum ipsa objectio supponat adhuc conferri *simpliciter* bonum, et necessitas illa *sub distinctione* non sit absoluta ac independens, sed fundata in alio beneficio precedente, uti *in nostro casu* est gratuita elevatio ad statum supernaturalem, negari quidem huic bono potest ratio beneficii amplioris, non tamen beneficii *simpliciter* talis: præsertim cum ad non peccandum *per se* et universim ac etiam contra præceptum supernaturale in actibus contrarie oppositis non requiratur auxilium supernaturale; atque hinc Deus nec absolute necessitatus sit aut ad non permittendum illud peccatum, aut ad conferendum gratiam supernaturalem.

Nec dicas 4º. Deus dando gratiam, quam prævidet inefficacem, non vellet serio actum salutarem, ad quem dat gratiam *pure* sufficientem. Prob. Juxta S. Aug. in Enchir. c. 103. *Credendum non est, aliquid omnipotentem Deum fieri voluisse, factumque non fuisse*; ergo Deus dando gratiam ad actum salutarem, quem prævidet non ponendum, illum actum saltem serio voluisse credendum non est.

R. N. Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. S. Aug. intelligendum esse de voluntate Dei absolute et efficaci, non autem de conditionata et sufficiente.

Nec dicas 5º. Nemo, qui finem *serio* intendit, utitur *mediis*, quæ scit non habitura effectum, quando copiam habet aliorum, quæ efficacia fore prævidet, et citra suum incommodum largiri potest; ut patet *in exemplo*, ubi quis prævidet ab homine in profundam specum delapo non arripiendum funem oblatum, sed scalam, et tamen omissa scala funem demittit; ergo cum hoc eveniat in dispensatione gratiæ *pure* sufficientis a Deo factæ, finem *serio* intendere dici nequit.

R. D. A. Nemo, qui serio et illimitate intendit finem, utitur mediis etc. C. qui serio quidem, sed non illimitate intendit N. Voluntas *simpliciter* seria est, quæ dat omnia media necessaria, et plene sufficientia ad obtinendum finem, ut, quantum est ex parte dantis, sequatur effectus, licet prævideatur contrarium, et adsint alia media efficaciora. Hinc in allato *exemplo*, qui projiceret delapso funem, quo extrahi posset, serio sane ejus liberationem vellet, præstaretque beneficium; licet cognosceretur non habere voluntatem *illimitatam* eum liberandi, sed permittendi interitum ex propria illius pertinacia. Quamvis vero in humanis mediorum inefficacium positio, relictis efficacioribus, plerumque licite non procedat, quia *regulariter* teneamus impedire effectum malum aut damnum proximi, quantum moraliter possumus; id tamen in dispensatione divina auxiliorum locum non habet.

Nec dicas 6º. Intentio Dei inefficax ad salutarem operationem est *conditionata*, et hunc habet sensum: Volo, ut homo velit operari sub conditione, si velit: sed hæc conditionata intentio est stulta, ac consequenter non est seria; ergo.

R. D. 1º. p. M. Voluntas Dei inefficax est formaliter ac proprie conditionata N. tantum late et secundum quid æquivalenter conditionata C. Sed hinc 2º. p. N. Intentio quidem Dei de æterna *omnium salute* est formaliter et proprie conditionata, quia in illo testimonio Apostoli 1. ad Tim. 2. v. 4. *Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, interpretantibus SS. Patribus, præsertim AMBR. et HIER., conditio subintelligitur, si nimur etiam ipsi accedant, et vocanti Deo consentire velint: intentio autem salutaris operis respectu hominis gratia pure sufficiente præventi, est late tantum et secundum quid æquivalenter conditionata, quatenus per modum desiderii tendit indifferenter (indifferentia scilicet hominis libertatem salvam præstante) in ipsam operationem; atque ob hanc indifferenticam intentio componitur cum operationis defectu, sicut voluntas formaliter et proprie conditionata sine effectu esse potest, propter conditionem non positam.

Qua in re nihil diversum habetur a quocumque hominum desiderio, quo optant bonum ab alterius *libertate* dependens, quin tamen ob hanc rationem desiderium ejusmodi dicatur conditionatum, et hinc absona intentionis tendentia in arguento proposita sequatur.

Nec dicas 7º. Deus volens, ut homo operetur salutariter cum auxilio, quod *inefficax* fore prævidet, vellet, ut aliquid fieret contra æternam suam præscientiam, cuperetque aliquid fieri, quod certo sit non futurum: in utroque autem non potest esse voluntas seria; ergo.

R. N. M. Deus enim volens, ut homo inefficaciter vocatus operetur, non vult, ut fiat aliquid *contra suam præscientiam*; sed inefficaciter vult, ut fiat aliquid, quod si fieret, præscientia fuisse impedita, aversaturque, non impediri eamdem: similiter Deus non vult efficaciter, quod præcognovit non esse futurum; sed tamen sincere desiderat, ut fiat id, unde sequeretur præscientiam non fuisse, et quodammodo dolet, quia ex hominis voluntate illud non est futurum.

## ARTICULUS III.

AN OMNIBUS JUSTIS DETUR GRATIA SUFFICIENS?

343. Nota I. Justis omnibus non dari gratiam sufficientem ad mandata Dei observanda, vitanda peccata etc., atque hinc ad perseverandum, partim est corollarium ex erroribus Lutheri et Calvinii fluens, partim aperta Jansenii doctrina. Error Lutheri et Calvinii, quo statuunt, mandata Dei esse impossibilia etiam justis, eo quod ea non possint in hac vita impleri, scilicet ob concupiscentiae labem, operibus hominum etiam sanctissimis adhærentem, generali quadam exclusione removet a justis auxilium sufficientis ad perseverandum mandata Dei observando. Jansenius L. de gr. Chr. c. 13. totus est in eo, ut ostendat justis etiam volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent vires, aliquando deesse gratiam, imo et spiritum orationis, quo possibilia fiant Dei præcepta; quam erroneam doctrinam omni argumentorum genere conatus est stabilire Ant. Arnaldus in dissertatione de gratia efficaci, tanquam in persona S. Petri manifestam. Contrarium dogma est omnium Catholicorum.

346. Nota II. Jansenius de generali Dei ad salvandos omnes voluntate, et mediorum pro omnibus ad peccata vitanda præparatione testimonia Apostoli, alterum ex 1. ad Timoth. c. 2., alterum ex 1. ad Cor. c. 10. v. 13. desumptum elevare contendit, propterea quod Aug. L. de Corr. et gr. c. 15. textum *primum* sic explicet, ut Deus dicatur velle omnes homines salvos fieri, non quia talem voluntatem in se habet, sed quia facit nos velle ac desiderare, ut omnes salventur: *secundum* vero, dum idem L. de dono persev. c. 9. et Hormisdas S. P. in ep. 15. ad Possessorum Episcopum applicet prædestinatis. His vero usurpationibus non obstantibus

Quod 1º. attinet, negari nequit, quin ille textus alium sensum litteralem ac proprium habeat, qui catholicam exprimat veritatem. Liquet id 4º. ex contextu; quia hic loci hortatur Apostolus fideles, ut Deum pro omnium salute obsecrant, et rationem addit: *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo*; quod probat illico subjungens: *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Unde sic argumentatur: Quia Deus vult omnes homines salvos fieri, bonum et acceptum coram ipso est, nos pro omnium salute orare; ergo pro eadem orare nos oportet: hæc autem argumentatio vim nullam haberet, si Deus, sine voluntate aliquos salvandi, faceret nos pro eorum salute orare.

2º. Ex consensu aliorum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum eundem sensum litteralem sectantium.

3º. Ex ipso S. Aug., qui hanc explicationem apertissime L. de Sp. et litt. c. 33. n. 58. supponit, vel tradit, ubi interrogat: cur, si voluntas credendi donum Dei est, non omnibus detur, cum Deus velit omnes homines salvos fieri; sic respondet: *Vult quidem omnes homines salvos fieri... non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur*.

Quoad 2º. vero idem etiam ostenditur 1º. ex contextu; cum enim Apo-